

**Dissertatio medica inauguralis, de cynanche maligna ... / Eruditorum
examini subjicit Joannes Hinds.**

Contributors

Hinds, John.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Gulielmus Creech, Academiae typographus, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/acanfegr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE MALIGNA.

DISSERTATIO MEDICA

IN AURELIA

CLINICAE MALIGNAE.

3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE MALIGNA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES HINDS,
HIBERNUS,
SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS
SOCIUS HONORARIUS.

*Sunt certa piacula quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.*

HORAT.

Ad diem VIIum Kalend. Julii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1804.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRO PRÆHONORABILI,
JOANNI FOSTER,

SENATUS NUPER HIBERNICI

PROLOCUTORI,

Æ SECRETIS REGI CONSILIIS,

&c. &c. &c.

VIRTUTIBUS PUBLICIS ATQUE PRIVATIS

PARITER INSIGNITO ;

PROPTER CURAM INDEFESSAM

QUAM

IN PATRIAM SEMPER ATQUE SEMPER

MANIFESTAT,

ET

COMMODA PERMULTA,

QUÆ IN EAM INDIES CONCILIAT,

OPUSCULUM HOC,

OBSERVANTIÆ SUMMÆ TESTIMONIUM,

SACRUM VULT

AUCTOR.

JOHN FOSTER
VIRGILII

CRATIS INTER HIBERNICI

PROLOCUTOR

EXCERPTA ADI. CON. LIB.
VIRGILII
2c. 2c. 2c.

VIRGILII PUBLICIS ATQUE PRIVATIS

PARTIBUS INVENIUNT

PRIMI IN QUAM INDESSAM

GRAM

IN PATRIAM SEMPER ATQUE FAMULI

MANIFESTAT

ET

COMMEDIA PERMUTAT

QUE IN TAM INDIES CONCLAT

OPUSCULUM HOC

CONSERVATIS SUISQUE TESTIMONIUM

SACRUM VULT

AUCTOR

NECNON,
JOANNI PAGE,
DE DUNDALK,

IN COMITATU LOUTHIANO,

ARMIGERO,

QUEM

FIDES INTEMERATA,

MORUM URBANITAS,

HONOS,

ET

INTEGRITAS INCORRUPTA,

MERITO CONSPICUUM

REDDUNT ;

OB

AMICITIAM ET BENEFICIA

QUIBUS SE DIGNATUS EST,

DISSERTATIONEM HANC,

ANIMI

PLURIMUM DEVINCTI

INDICIUM,

DICAT CONSECRATQUE

JOANNES HINDS.

Then wasteful forth
Walks the dire power of *pestilent* disease ;
A thousand hideous fiends her course attend,
Sick nature blasting, and to heartless woe,
And feeble desolation, casting down
The tow'ring hopes, and all the pride of man.

THOMSON'S SEASONS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE MALIGNA.

AUCTORE JOANNE HINDS.

AFFECTIONEM, de qua hac in disserta-
tione agere statuimus, medicos nostros
antiquos fere omnino latuisse, verisimile vide-
tur. Nam, tametsi Aretæus, et scriptores qui-
dam Italici, se vidisse morbos tonsillis ulcera-
tis et faucium inflammatione stipatos, nos
certiores fecerint, vix tamen aliquid de ea dis-
tincte scriptis tradiderunt ; donec annos circi-
ter sexaginta abhinc, cum Fothergillius, et
post hunc Huxhamus, historiam et phænome-

na morbi accuratissime in lucem protulerint, et medicos ad veram naturam ejus indagandam incitaverint.

IN nosologia celeb. Culleno edita, cynanchen malignam in classe pyrexiarum, et phlegmasiarum ordine, invenimus : hujus definitioni, utpote cæteris omnibus præstanti, adhærere libet. “ Cynanche maligna, tonsillas et membranam faucium mucosam afficiens tumore, rubore, et crustis mucosis, coloris albescentis et cineritii, serpentibus et ulcera tegentibus, cum febre typhode et exanthematis.”

Inter auctores diu et acerrime disputatum est, num hic morbus eandem originem ducat, et ejusdem naturæ sit ac scarlatina anginosa. Plerique medici, et illi sane primi ordinis, inter quos numeretur nosologus ille illustris antea citatus Fothergillius, et alii affirmaverunt, hos affectus natura, origine, et symptomatibus plurimum et insigniter differre, et

confiliis

consiliis medendi variis occurrendos esse; dum alii, qui summam sibi claritudinem merito consecuti sunt, enunciavere, has esse varietates seu modificationes ejusdem morbi et eodem contagio prognatas. Hoc in loco liceat observationes accurati et admodum experti scriptoris proferre *. “Ex iis quæ de febra rubra et angina memorata sunt, longe vero simillimum videtur, unum eundemque morbum, hoc vel illo nomine appellatum fuisse, prout indicia alterutra gravius incubuerint. De quo etiam id nos facit certiores, quod ambo una semper fiunt vulgares, atque hæc proculdubio vincet sententia, modo illud concedatur, cujus, ni fallor, ipse testis fui, nimirum, inter plures pueros et puellas, qui, ut sæpe fit, in unis ædibus simul correpti sunt, hos febrem rubram, illos vero anginam fuisse expertos.”

Si in tantarum auctoritatum collisione opinionem periclitarer, dicerem, quod nihil ab-

A 2 furdum

* Heberden Comment. p. 25.

furdum aut irrationale apparet, nec aliquid legibus œconomiae animalis recognitis repugnans, conspiciendo has, ut ejusdem morbi varietates, cum in mentem revocemus, istos morbos qui sæpissime occurrunt, et quibuscum maxime familiares sumus, nempe, variolam et morbillos, phænomena naturæ admodum variæ, abnormis, et mutabilis frequenter ostendere; haud raro in origine et progressu, variola indolis tam benignæ videtur, ut vix æger morbo detineatur, et sine ope medicamentorum depelli queat. Alias vero eundem morbum animadvertimus, eodem contagio deductum, et indiciis similibus stipatum, faciem tam adversam, et malignam induere, ut summam opem scientiæ medicæ postulet, ad faustos exitus pertrahere.

ALIUD argumentum, et quod non levis momenti videtur, est, quod inspectis cadaveribus eorum quos scarlatina arripuit, phænomena morbida omni ex parte similia inventa sunt

iis,

iis, quæ cynanche maligna protulerit. Hac igitur sententia, et quorundam professorum eruditorum * opinione munitus, affirmare audeam, nullam differentiam specificam cynanchen malignam inter et scarlatinam anginosam existere. Signa utriusque, tantummodo unius et ejusdem morbi gradationes denotant, et quæ gradationes, cœli aspiratu, situ, temperamento, et præcipue epidemici grassantis natura afficiuntur. Itaque in hujus dissertationis progressu, quotiescunque mentionem facere de alterutro necesse erit, nomen alterius pro altero, nullo discrimine, agetur.

HISTORIA MORBI.

INTER omnes consentitur, hunc morbum in insulas Britannicas ex Europæ plagis australibus invectum esse; in Africa, unum saltem huic nostro similem, diutissime innotuisse, et
exinde

* Dris Gregory et Dris Home.

6 DISSERTATIO MEDICA,

exinde in Italiam translatum esse, et tandem in Septentrionem se disseminavisse. Nulli ætati, sexui aut habitui corporis cynanche maligna parcit; infantes aut impuberes tamen aggressionibus ejus præcipue obnoxii sunt, mulieres quam virile genus, et plerumque ii temperamento debili laxo, otioso, et infirmo præditi.

CONTAGIOSUS hic morbus est, raro sporadicus, sæpe epidemicus; incipiente malo, æger affligitur horrore, nausea, anxietate, vomitu, et diarrhœa; pulsus parvus, debilis, abnormis cernitur, eodem tempore rigiditas ad musculos colli et humerorum percipitur. His succedunt molestia faucium internarum, et vocis raucedo; dolor capitis, et vertigo sæpius morbum introducunt; fauces internæ conspectæ coloris subrubri apparent, deglutitio tamen haud difficilis existit; maculæ plurimæ coloris albescentis vel cineritii uvulam, velum palatinum, tonsillas, et partem posteriorem pharyngis occupant;

cupant; hæ maculæ, quæ vere sunt crustæ mucosæ, ulcuscula obtegunt; lingua, quæ sub initium arebat, in omni parte præter apicem et margines, qui humidi et rubicundi sunt, humore spisso et flavescente prorsus illita est, totumque os interdum mucò viscido oppletur; cutis calor, rubeolæ similis, intensior est quam in febre continua usitatò invenitur; urina pallida, vel etiam aliquando alto colore tincta.

PROGREDIENTE morbo, efflorescentiæ cuticulares erumpunt, obscure rubentes, et inter se confluentes, primum in facie, collo, et pectore observandæ sunt; sed colore et numero incrementales, citius tardiusve per totam ferme corporis superficiem serpentes se diffundunt; manus et summitates digitorum tument, rigent, tactu dolent, et aliquando rubedine notabili afficiuntur. Eruptio spatio quatuor circiter dierum perdurat, et tunc desquamazione aliqua decedit; et quoniam hæc, ut nonnulli opinantur, critica fiat, minime repelli debeat.

Si facies vel partes tumidæ digito compri-
mantur, albidæ redduntur, mox vero remoto,
iterum rubescunt. Antequam in furfureas per-
mutetur squamas cuticula, in vesiculas plu-
rimas albas sæpe elevatur *, quæ pustulas mi-
liares adeo referunt, ut morbo parum familia-
res fallant.

CRISI morbi sæpe succedit propensio ad a-
nasarcam, sed non magni momenti estimanda ;
nam in his exemplis quibus mihi adfuisse con-
tigerit, facillime et brevi spatio medicamentis
aptatis succubuit.

SUB hac specie morbi, in permultis casibus,
ubi scarlatina haud infauste definit, sudor mo-
dicus, levis, generalis, erumpit, pyrexia infig-
niter levatur, faucium ulcera benigne sanan-
tur, somnus redit, et appetentia cibi, et in
pristinam valetudinem restituitur æger.

SED

* Plenciz de scarlat. Withering acc, of scar. fever.

SED terminatio tam facilis, non semper huic morbo assignatur; frequenter, ex initio, indicia typhi appropinquantis manifestat, nempe, prostrationem virium insignem, tremores artuum, respirationem difficilem, arteriarum ictus valde inæquales. Nocte imminente, habitus febrilis plurimum augetur; hæ exacerbationes per decursum morbi plerumque recurrunt, omnia in pejus ruunt, delirium et coma sæpissime superveniunt, lingua etiam eodem tempore ad radicem fordet, et tunica quadam densa, flavescente, vel fusca obducitur; halitus ingratus, valde olens ex ore emititur, et hic in horas crescit, adeo ut ægro- tanti ipsi maxime molestus fiat.

TERTIUM quartumve circiter diem, alias maturius, alias serius, symptomata omnia notabiliter ingravescent; magna inquietudo, anxietas, deglutiendi difficultas, et animi deliquia accedunt; oculi concavi esse videntur, cutis est caloris intensi, aspera, et sicca, raro ad su-

dorem propensionem exhibens; urina cruda, aliquando etiam flava, quasi bile admixta et turbida; ulcera gutturis ampliora et multo profundiora fiunt, et colorem lividum seu nigrum induunt; respiratio multo laboriosior; fauces quantitate pituitæ immensa onerantur, quam tamen exspuere raro conantur ægrotantes; vox est rauca et clangosa, eam ex ulceribus venereis in faucibus referens; color coccineus, qui primis diebus eruptionem designavit, nunc flavedine et nigritie excipitur.

ARTERIOSI ictus, tum vi, tum temporibus, inæquales, adeo interdum frequentes sunt, ut in carpo modo centum et viginti, modo centum et triginta, imo etiam modo centum et quinquaginta, minuti spatio numerentur; sæpe tremuli et intermittentes inveniuntur.

NARES, gingivæ, intestina, et aliæ corporis partes, omni fere tempore morbi, potissimum vero provectiore, hæmorrhagiis opportuna sunt.

sunt. Menstrua quoque sæpies occurrunt, etiam si recursus eorum, quoad tempus, non omnino expectandus sit; nec defunt exempla, ubi nonnullis hæ evacuationes evenerunt, quibus ne unum quidem signum eorum unquam existeret; res maxime deprecanda, nam, ut debilitatem inducens, lethalem eventum præcipitet.

QUAMVIS nausæ, anxietati, et diarrhœæ aliquid levaminis evidentis eruptio plerumque adfert; tamen, in exemplis numerosioribus efflorescentia gravior evadit, faciem igneam universam assumens, sine ulla symptomatum remissione, imo etiam omne fere malum magis intenditur, præcipue pyrexia, oppressio, et delirium.

EXTREMUM versus, hic morbus fere semper comitatur coryza, et saniei corrosivæ tenuis ex naribus effusione, quæ tantum acrimoniæ possidet, ut labia, genas, manusque ægrotantium,

et etiam digitos et brachia eisdem nutriendum, deglubet. Hæc materia acerrima nonnunquam, præcipue in infantibus, in œsophagum, ventriculum et canalem intestinale descendit, et dejectiones, vomitusque signis exulcerationis stipatos efficit; plurimum quoque doloris, et incommodi, erosiones circa anum miseris inferunt. Haud infrequenter, etiam, hujus acris saniei* absorptio tantum grandularum lymphaticarum colli tumorem inducit, ut suffocationem minitaretur; et secundum observationem† Huxhami accuratissimam, trachea hac materia tam eroditur, ut frustula membranæ ejus internæ cum multo pure sanguineo extusillantur.

INTERDUM, quoque, suffocatione violenta tentatur ægrotus, peripneumoniciæ simili, et subito arripitur.

DENIQUE

* Audi prælect. Dris Gregory.

† Dissertation on ulcerous sore throat.

DENIQUE anima magis magisque foetida evadit, adeo ut fiat ex toto intolerabilis; extremitatum frigiditas, flocculorum collectio, convulsionēs, fœcum et urinæ involuntaria emissio, maximum imminere periculum prænuntiant; debilitas et insensibilitas eo usque augmentur, ut cardiaca potentissima solitis careant effectibus, et ægrotus jam morbo fractus fato concedit.

HACTENUS, quantum in me fuit, rationem edere conatus sum, de speciebus variis in quibus scarlatina seu cynanche maligna sese ostendit. Ex ea, ut opinor, valde probabile reditur, hunc morbum nunc typi benigni, alias acerbi, indicia præstitisse. Candidus ille medicus Sims, societatis medicæ Londinensis, de hac tractans, verbis infra notatis * utitur.

HINC

* Though I have mentioned the fore throat and scarlet eruption as always occurring together in this disease, yet several patients had the angina without any apparent eruption,

HINC conclusionem deducere vellem, maxime consentaneam opinioni, parte priore hujus dissertationis propositæ, quod hi morbi nomine tantum discrepent, et diversa phænomena præ se ferant, prout rebus diversis afficiantur.

DE EXTISPICIIS.

CADAVERIBUS sectione inspectis, fauces in hoc morbo inflammatione, suppuratione, et gangræna corripì reperiuntur. Hæc phænomena ad œsophagum, ventriculum, et canalem intestinalem usque extendunt, membrana quæ has
tion, whilst, on the other hand, others had the eruption without any soreness of the throat. In one child, the scarlet fever appeared without any angina, and, having finished its course, left the patient seemingly in perfect health; but in a few days a fever returned without any eruption, but with a considerable degree of sore throat, and much pain and swelling of the parotids and tonsils, which likewise ran its course as if the former symptoms had never happened.

has partes obducit, naturali craffior, apparet, et colorem fubrubrum exhibet; trachea quoque et larynx in ftatu inflammationis, et materia vifcida et foetida illitæ deprehenduntur. In plurimis exemplis, affectio inflammatoria ad pulmones ipfos propagatur; tumores magni grandularum colli inveniuntur; in ftomacho et inteftinis humoris vifcidi magna copia frequenter obfervatur, et eædem notæ morbidæ quæ in febre typho obveniunt, in aliis corporis partibus protinus fe perhibent.

DIAGNOSIS.

Duo duntaxat morbi, (quatenus fciam), quibufcum periculum timeamus cynanchen malignam confundendi, fcilicet rubeola et cynanche tonfillaris; cum priore, ftadio præfertim noviffimo, tantam fimilitudinem præfert, ut difficile diftingui * poffit, quamvis res maxi-

imi

* Heberden Comment. p. 20.

imi momenti fit, quia in duobus, indicationes medendi maxime diversæ sunt. Rubedo scarlatinæ magis æque diffunditur, quam in morbillis, nec adeo discretæ papulæ apparent, cuticulæ colore naturali interposito. In rubeola, maculæ plusquam eminentes sunt, et digitis applicatis, asperitatem quandam manifestam præbent; dignoscitur quoque ex rubeola, absentia tussis, epiphoræ, coryzæ, sternutationis, et signorum aliorum catarrhalium, quæ morbillos incipientes semper, sed cynanchen malignam rarius, saltem non insigniter, comitantur. Tempus etiam eruptionis variat; nam primo aut secundo die efflorescentia cynanchica in facie et pectore frequentissime apparet. In rubeola, contra, non nisi ad tertium diem circa mentum se ostendit, nec ad manus, humerosve, ante quartum quintumve febris diem pervenit.

INSUPER quum animum ad epidemici grassantis genium imputimus, nil est, quin alius ab alio perfacile internosci queat.

SIGNA

SIGNA quæ magis speciatim fecernunt hunc morbum a cynanche tonsillari sunt, quod affectio de qua tractamus est naturæ maxime contagiosæ, et eos qui semel scarlatina laboraverunt, inde ex illo tempore * immunes morbi extitisse; dum ii, contra, qui cynanche tonsillari subditi fuerunt, aggressionibus futuris, fortasse hanc propter rationem, procliviores fiunt. Impuberes, imbelles, et sexum muliebrem imprimis scarlatina invadit; adulti, vegeti, plethorici, cynanche tonsillari plerumque objiciuntur: sed ad rectam diagnosis stabilendum nil plus confert quam ad statum circuitus sanguinis animum diligenter applicare; in hoc, pulsus est, ut plurimum, celer, debilis, parvus, inæqualis; in illo, ictus arteriarum sunt validi, pleni, et duri; in altero, summa virium prostratio, anxietas, oppressio circa

C præcordia,

* Hæc observatio exceptionibus quibusdam obnoxia est.

—Audi prælectiones Doctoris Gregory.

Novi quos hic morbus bis tentaverit, quod tamen per paucis accidit.—Heberden Commentar. p. 24.

præcordia, multoties efflorescentia cuticularis adsunt; in altero, quamvis pyrexia magnopere inflet, aliquando dyspnœa stipata, tamen hæc debilitatis indicia, quæ præcipue cynanchen malignam designant, non inveniuntur. Denique sedes morborum variat; in cynanche maligna inflammatio membranam oris et faucium mucosam occupat, cum ad partes glandulares cynanche tonsillaris potissimum dirigitur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

INFANTES potius quam adulti, et ætate proVectiores, sexus muliebris quam virilis, et ii, cujuscunque sexus, habitu debili et laxo præditi, ad hunc morbum opportuniores existimantur. Diæta parca, parum nutriens, longa inedia, aer frigidus et humidus, et ejusdem subitæ mutationes, animi pathemata deprimentia, ut timor, mœstitia, et evacuationes immodicæ huic malo viam sternere putantur.

Sic

Sic etiam Bacchi vel Veneris nimia cultura, vehemens, nimisque longa exercitatio, et uno verbo, omnia quæ corporis humani vires debilitant et infirmant, et hoc magis potestati excitanti obnoxium reddunt, inter causas prædisponentes censerì debent.

CAUSA EXCITANS.

QUUM ad naturam epidemicam hujus morbi animadvertamus, nullum dubitationi spatium remanebit, quin ex contagio specifico oriatur, quo, corpori opportuno, admoto, effectus proprii producti erunt. Quamvis de hoc, novissimis annis, multa cum asperitate disputatum sit, meo saltem judicio, res ex observatione quotidiana, tam liquido patet, ut vix probatione indigeat; sed quare tentationes ejus ad fauces, omnibus aliis partibus posthabitis, imprimis convertantur, me non posse explicare fateor. Natura, quidem, hujus, æque ac con-

tagii omnigeni, adeo incerta videtur, et tam densa nebula involuta, ut de operatione et phænomenis ejus, ne quidem scientia humana rationem omnino satisficientem suppeditare queat. Ad hoc confirmandum, (ni vereretur ultra limites præscriptas hoc opusculum extendere), exempla adducere possem medicorum clarorum, ut Navier *, Plenciz †, Withering ‡, &c. quorum singuli theorias hujus morbi tradiderunt, sed tam contrarias et inter se repugnantes, ut aliquid fidei iis affigere prorsus impossibile foret. Sententiam vero Professoris nostri illust. praxeos medicæ, ut veritati et naturæ potius consentientem, et mihi met ipsi magis placitam in hunc locum proferre audebo. “ Dum spirat homo, lethale sibi aliisque spirantibus venenum fundit; neque solus pulmonis halitus adeo nocet; manat ab omni cutis foramine, materia subtilissima

* Comment. de rebus medic. tom. iv. p. 339.

† Tract. parag. p. 31. et seq.

‡ Withering's Account, p. 61.—70.

fima, venenata, fortasse putrescens, quæ diu collecta, neque per auras diffusa, et corpori denuo admota, aut iterum in idipsum recepta, gravissimis morbis inficit; nec sistit gradum, sed, veluti vires per pabulum nacta, longe lateque per populos grassatur *."

PROGNOSIS.

RARO nobis potestas est, huic malo exitum felicem promittere; aliquando mitem, sæpius autem faciem pervicacem assumit; haud infrequenter, perpaucorum spatio dierum, ægro- tantem arripiens. Animum intendere ad epidemici grassantis naturam peculiariter medicum oportet, si, adventante vespere, paroxysmus notabiliter ingravescat, cum magna debilitate, pulsu abnormi, necnon spiritus fœtore; et quando fusca aut livida ulcera evadant, et præsertim,

* Gregory Conspectus Medicinæ Theoreticæ, tom. i.
p. 33.

præfertim, si his diarrhœa, hæmorrhagia, aut dyspnœa superveniant, comate, tremoribus, et delirio stipatæ, ægrotum summo vitæ discrimine versari extimescendum est. Eruptionis quoque subita retrocessio, quæ ex frigore incaute applicato, evacuationibus, et medicamentis refrigerantibus, sicut nitrato potassæ eveniat, infausta est.

ALIQUANDO inflammatio ad laryngem et glottidem diffunditur, et suffocatione infelix moritur; eundem eventum, haud raro gangræna faucium procreat.

CONTRA eruptio matutina pro omine felici habetur. Si pyrexia modica sit, et proclivitate ad putredinem non ostendat, quin etiam si remissionem, efflorescentia cuticulari apparente, experiatur, et ubi hæc remissio progressu temporis, increseat, et præcipue quum efflorescentiæ succedat desquamatio copiosa; si ulcera crustas mucosas benigne exuant, et coloris

loris floridi et vegeti ex imis videantur, si somnus lenis et placidus, et cibi appetentia recurrent; ex his eventum haud infaustum augurari liceat.

CURATIO.

QUAMVIS nosologus ille magnus, cynanchen malignam in ordine phlegmasiarum collocaverit, haud tamen tractationem huic morborum descriptioni accommodatam, applicare possumus. In morbo tantum periculi quantum scarlatina habente, curatione cita et efficaci opus est. Idcirco consilia sequentia proponimus:

1^{mo}, Habitum febrilem minuere et moderari.

2^{do}, Proclivitati septicae semper formidandae obviam ire.

QUOD

Quod ad primum spectat; ab evacuatione omnigena, seu venæsectione, seu purgatione, caute abstinendum est, quippe quæ vires exhauriendo injuriam permagnam facerent. Nonnulla tamen exempla occurrunt, ubi symptomata inflammatoria tam gravia evadant, ut missio sanguinis topica, vel etiam generalis, magno cum fructu perficiatur. Sed affirmare audeam, hujusmodi casus rarissime evenire; quocirca, hocce remedium, maxima nisi circumspeditione, confugiendum est. Eadem observatio purgationi immodicæ applicari potest; quamvis in hac, sicut in aliis omnibus febribus, intestina soluta servari debent, et hoc consilium enemati- bus, salibus neutris, et fructibus subacidis, commode absolvitur.

EMETICUS, præsertim ex tartrite antimonii, si intra horas duodecim ex invasione administretur, felicissimos effectus reddere probatur, aliquando, febrem radicitus abscindendo, vel ejus violentiam insigniter minuendo, sæpe etiam

tiam multum proderit, abluendo ventriculum et canalem intestinalem, et fauces folliculasque mucosas abstergendo; vel diaphoresin criticam forte promoveat.

SED remedium, ingruenti morbo, cui magis fidendum, et mea quidem opinione, longe aliis anteponendum, est affusio frigida, seu aspersio subitanea et violenta aquæ frigidaë per totum corpus ægroti; præclari ejus effectus in febre typhode, cui (in stadiis provectioribus præsertim) cynanche maligna affinitatem notabilem habere videtur, scriptore nupero ingenioso *, tam valide stabiliti sunt, ut convictionem etiam scepticis imponere possint. In morbo de quo agimus, affusionem frigidam in casibus quinquaginta duobus expertus est, et in omnibus (duobus tantum exceptis) præstantissimos fructus edidit.

MIHIMET ipsi contigit exempla pauca scar-

D

latinæ

* Dr Currie.

latinæ incipientis videre, in quibus affusio frigida eventu faustissimo utebatur. Quando autem de hujus remedii applicatione decernitur, non nisi cum maxima prudentia et cautela ad usum ejus percurrendum est. In nosocomio regio Edinensi, erudito Homio usurpatur, quando calor ad gradus thermometri Farenheiteani centesimum primum, secundum, tertium augeatur. Quod ad tempus attinet, a clar. Currie monemur, affusionem frigidam, exacerbationibus vespertinis instantibus, vel paulo post, optime votis respondere; ullo tamen diei tempore eam tutissime adhiberi; ait, "When there is no sense of chilliness present, when the heat of the surface is steadily above what is natural, and when there is no general or profuse perspiration *."

His rebus prætermiſſis, vel non satis curatis, magnum periculum, aliquando etiam irremediabile, ægroto affusio inferat; nam paulo infra
inquit

* Currie's Reports.

inquit idem auctor, " If the asperſion on the ſurface of the body be uſed during the cold ſtage of the paroxyſm of fever, the reſpiration is nearly ſuſpended, the pulſe becomes fluttering, feeble, and of an incalculable frequency; the ſurface and extremities become doubly cold and ſhrivelled, and the patient ſeems to ſtruggle with the pangs of inſtant diſſolution. I have no doubt, from what I have obſerved, that in ſuch circumſtances the repeated affuſion of a few buckets of cold water would extinguish life."

Nec abſque diſcrimine hoc remedium uſurpare poſſumus, quando caloricum thermometro indicatum temperiei minoris, vel etiam æqualis naturali eſt, quod nonnunquam ad ſtadia poſtrema febrium accidit, ubi vitæ facultates magnopere exhaustæ ſunt, ut non ſuſtinere valeant, nec ſub ſtimulo adeo potenti reactionem ſubire.

NEQUE sane utenda est affusio frigida, quando corpus sub perspiratione prodiga laboret, ea namque semper ex semet ipsa est processus refrigerans; et rebus sic habentibus, aquæ frigidæ applicatio, vel affusione, vel immersione, calorigi extricatione, et reactionis diminutione, salute minime consistentibus, comitatur.

HIS rite observatis, hoc remedium febris quolibet tempore, summo cum quæstu, usurpari potest, sed effectus magis minusve utiliores præstabit, prout citius seriusve adhibeatur. Ex factis et experimentis a Doctore Currie prolatis, una cum testimoniis medicorum nostrorum maxime eminentium, qui in praxi hodierna affusione frigida valde generaliter, et diffusissime utuntur, plane apparet, remedium eximiæ virtutis et potentiæ esse, febres continuas ab initio frequentissime prorsus discutienti, et si enimvero non eo usque valeret, signorum violentiam moderando, et febris durationem

tionem minuendo nunquam frustramur. Hoc in loco, forsan, non abs re foret prædicare, nequis ablutionem applicaret, si tentationes pulmonares five catarrhales adsint, sicut tussis, dyspnœa, dolor lateris, vel si visceris cujusdam inflammatio superveniat. In hoc rerum statu, affusio tepida, scilicet quæ inter gradus 87 et 97 thermometri Farenh. temperiem teneat, aptissime et commodissime supponi possit.

EXPECTANDUM foret, ne dissertatio nostra manca videatur, ut paucis, hujus remedii modum operandi, explicare aggrediamur; sed quoniam peritus ille medicus Currie, tam diffuse et ingeniose de eo tractavit, ad ejus verba referre melius existimo, ne transferendo, quamvis invitus, sententiæ illius injuriam facerem*.

Si

* "The sudden, general, and powerful stimulus given to the system, dissolves the spasm on the extreme vessels of the surface, and of the various cavities of the body; the
sudden

Si conamina ad morbum depellendum ingruente stadio irrita cadant, ad consilium alterum, nempe, proclivitati putrescenti obvenire, procedere oportet, quæ, utrum in primis viis solum occurrat; utrum vero in universa massa ope lacteorum locum teneat, eruditis relinquam, et cum poeta dicam,

“Tantas componere lites

“Non opis est nostræ.”

QUAPROPTER ad antiseptica et tonica interna confugiendum est. Ex his primo ordine nitet

sudden and general evaporation carries off a large portion of the morbid heat accumulated under the skin, and the healthy action of the capillaries and exhalants being restored, the remaining superfluous heat passes off by sensible and insensible perspiration. The stimulus of morbid heat, and of morbid stricture, being removed, the inordinate action of the heart and arteries subsides, and the harassed and toil-worn patient sinks into that peaceful sleep which nature has provided as the solace of our pains and sorrows, and restorer of our health.”——*Currie's Reports.*

tet cinchona ; usurpandum est hoc medicamentum, uti monet Cullenus illust. ab initio affectus : per totum ejus decursum, cortex in pulvere aliquibus ejus præparationibus præferri debet. Sed aliquando non bene congruere stomacho invenitur, ideoque infusum aut decoctum ejusdem, cui tincturæ cujusvis aromaticæ aliquantulum pro re nata adjici potest, usurpandum est, et libera manu porrigendum ; et quoniam perarduum sit, infantibus, qui multoties huic affectioni subditi sunt, persuadere, ut cinchonam deglutiant. Cum res ita se habeant, Doctor Clarke decoctum, extracto glycyrrhiæ et pauxillo aquæ lauri cassiæ commixtum, laudat.

SÆPE etiam, ubi alia defecerint, enemata ex pulveris cinchonæ drachmis duabus, et juris bovini tribus vel quatuor unciis præparata, et frequenter repetita, multum proficiunt.

PERPAUCA cynanches malignæ, uti reor,
exempla

exempla occurrunt, in quibus vinum, secundo vel tertio die, vel fortasse priusquam, elapsis, felicissimos effectus non præstabit, et parce vel libere pro occasione propinandum est. Vires ejus cardiacæ et antisepticæ longe aliis remediis hoc in malo merito anteponunt, quippe saporis gratissimi est, pulsum plenior, sæpe et tardior reddit, haud infrequenter quoque delirium incipiens arcet et depellit.

COMMODA, quæ plurima ex acidis tum vegetabili tum minerali derivantur, summis laudibus plerique medici enumeravere; et nil dubium est quin fructus maturi, æque ac acidum sulphuricum vel muriaticum dilutione idonea redacta, in plerisque febrium stadiis, insigniter ad sitim mitigandam et putredinem valent.

UT proclivitati septicæ obviam eamus, et ad fauces servandas ex effectibus saniei acris super

per eas diffusæ, nonnunquam necesse erit, partes affectas gargarismate quovis aptato abluere, veluti decocto vel infuso cinchonæ et vini lusitanici, singulorum pari mensura, vel formula sequenti haud incommode utamur.

R. Decocti cinchonæ uncias sex, acid. sulphur. dilut. drachmam, mel. rosæ unciam. Fiat gargar. subinde usurpandum.

Cum ægri præ debilitate gargarisma usurpare nequeant, (velut liberis maxima ex parte accidit), syringis ope injicere utile erit, seu spongia eo madefacta partibus ulceratis admo-
veri possit, et eos qui ætatem propriam attigerunt admonere debemus, ne materiem virulentam in œsophagum et ventriculum transire sinant.

PER universum hujus morbi progressum, mundities maxima cura observanda, aer frigi-

E

dulæ

dulæ temperiei esse debet; vestimenta et stragula sæpius mutanda, et excrementa omnigena quam citissime removenda sunt.

Anno salutis humanæ circiter millesimo septingentesimo octogesimo septimo, in insula Sancti Christophori, in India Occidentali, cynanche maligna maxima violentia increbuit, et impuberes permultos sustulit; contra ejus vastationes medici frustra nitebantur, donec ad usum * capfici annui (anglice *Cayenne pepper*) percurrerunt, quod effectus adeo salutiferos manifestavit ut brevi morbus evictus sit. De hujus remedii virtutibus, utpote nunquam expertus, non nostrum est differere.

Ex signis, quæ cynanchen malignam comitantur, nullum forte damnosius est, quam diarrhœa immodica †; frequenter intra horas
duodecim

* Vide Med. Comment. Vol. xii.

† Fothergill, p. 232.

duodecim ex invasione definit, sed si ultra perseveraret, quantocyus cohibenda est, scilicet periculosa plenum opus aleæ, syncopen inducit, vires exhaurit, et præcipue extimescenda, si in morbo proveciore, ex materia acris in intestina transeunti, oriatur.

ULCERA faucium attentionem matutinam et assiduam jure sibi vindicant; quando morbus generis mitissimi existet, exulceratio levis tantum observanda est. Ulcuscula densa, opaca, vel cineritia speciem magis inveteratam indicant; et si color lividus vel niger partibus adfit, omnia pejora portentat. Ubi proclivitas septica restricta sit, hæc ulcuscula, plurimis exemplis, sponte sua, exuunt, vel separatio eorum usu gargarismatum, quæ jam memorata fuere, promoveri potest, sed eam violentia moliri, aut instrumento quovis abradere, ut olim mos fuit, haudquaquam admodum est. Neque hortari debemus scarificationem, nec medicamenta escharotica, quip-

pe documenta adduci possint, ubi ex eorum usu imprudenti sphacelus lethalis evenerit.

Si symptomata illud male ominatum, subfultus tendinum dictum, superveniat, opio obveniens est; adversus hoc, quod in convulsiones generales tam facile transit, nullum, certe, medicamentum plus proderit, et ut id fiat, iteratis dosibus nec nimis parcis, sed caute et prudenter, dari necesse est.

Potum ordinarium in scarlatina constare oportet ex cerevisia tenui, aqua hordeata, aut sola, aut pauxillo vini pro re nata admixta, ex alcohole cum aquæ et sacchari quantitate propria redacto (vulgo *punch* dicto) et fero lactis; et quoniam ægrotantium appetitus sæpius inconstans aut levis sit, horum potuum varietatem præscribere debet medicus. Quod ad diætam spectat; poma, aurantia, et limones in hyeme; fraga et fructus alii subacidi in æstate libere administranda.

Si tumores alicujus momenti appareant, epispastica parti inflammatae commodum erit admovere ; nonnullis tamen persuasum est, applicationem eorum aut inconsultam, vel saltem remedium anceps esse.

INTERDUM accidit, stadium ultimum versus, quod hæmorrhagia ex naribus, ore, vel auribus prorumpat, quæ semper adversa habenda est. Quapropter, summa ope niti debemus, hunc fluxum quamprimum refrænare, et ad hoc, astringentia, et styptica, sicut linteolas in aqua frigida, aceto, vel solutionibus sulphatis aluminae immerfas, apponere oportet ; et vasis stillantis orificio quam proxime fieri potest ; capite erecto servandus est æger, et compressio externa, quandocunque res sinunt, nunquam prætermittenda est.



DE CYNANTHE MALLONA.

Si laboris aliusq; momenti apparet
epileptici parti inflammare contumacem
admodum; nonnullis tamen periculis
thlactatione coram non inconspicua
tunc remedium accipere.

Intra hoc accidet, siquidem ubi
quod hemorrhagia ex naribus, ore, vel
his promptat, quae semper obvia habenda
est. Quasi pter, summa ope nili debemus
hunc fluxum quatuordecim vel octiduum, et ad
hoc, aspicimus, et typica, sunt incolas
in aqua frigida, aceto, vel solutis sulphur.
in aliquibus immixtis, apponere oportet; et
tunc illius orificio quam proximè, vel po-
tius: capite erecto lavanda est, et com-
pessio externa, quandoque res habet, non
quam praetermittenda est.

DE CYNANTHE MALLONA.

ARGUMENTA PROPOSITA.



